

tuum servare, atque illius situs dominio ac juri efficaciter renunciaverit, declaret, Capellam ipsam non comprehendendi in Decreto a Congregatione edito de privatis Oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat; ubi tamen prius dictam Capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam ac decentem esse compererit, atque ita ut nullum hinc praejudicium inferatur juribus Parochialis Ecclesiae, ut in lib. 19. Decr. p. 316.

Et consentaneae ad haec in *Savonen.* disceptatis binis hisce Dubiis I.: An Aedes sacra S. Mariae de Areneto sit Ecclesia publica vel Oratorium privatum in casu? II. An constet de nullitate et injustitia Interdicti et respective suspensionis a divinis in casu? Die 28. Julii 1724 rescriptum fuit: Dilata et fiat Planta judicialis et addatur III. Dubium juxta mentem; — sed proposita Causa sub Dubio: An sit standum vel recedendum a decisis in casu? Die 9. Septembris ejusdem anni prodiit Resolutio: Praevio recessu a decisis quoad I.: Ecclesiam esse publicam, facta tamen declaratione a Senatore Imperiali per Instrumentum publicum, se nullum jus habere in Area sita ante Ecclesiam, nec non quod claves tam Ecclesiae quam Areae praedictae retineantur per Capellanum, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, quod Area non gaudeat immunitate. Ad II.: affirmative et amplius, — ut in lib. 74. Decr. p. 355.

Caeterum, quia gravior circumstantia concurrans in hypothesi ea esse videtur, quod Capella, de qua agitur, consecrata fuit, ut supra dictum est, ab Episcopo legitimam ad id facultatem habente, propterea, si consecratio rite et valide expleta judicetur, perpendendum erit, num ista, praecisis etiam reliquis omnibus circumstantiis, sufficiat, ut Capella dicatur publica. *Hoc enim est praecipuum discrimen*

inter Oratorium privatum et publicum, ut primum sit absque Episcopi auctoritate erectum ad orandum tantum, secundum vero Episcopo auctorizante ad publicum cultum destinatum. Can.: nemo, Can.: si quis etiam, Can.: placuit, de consecrat. dist. 1., Can.: quicumque 16. quaest. 1., *Fagnan.* in cap. auctoritate de censibus n. 1. et 2. et 17. et egregie Eminentissimus *Petra* in suis Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 1. p. 391 n. 76. et seq. Omnibus itaque ponderatis, grave non erit Eminentissimis VV. respondere:

I. *An constet. de valida consecratione Oratorii, de quo agitur?*

II. *An idem Oratorium sit publicum seu potius privatum in casu?*

S. C. C. resp. Ad I.: affirmative. Ad II.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam, imposita tamen obligatione Comiti Josepho restituendi apertas Fores Atrii de die et constituendi Capellam congrue dotatam.

Die 12. Febr. 1735.

Cf.: *Benedictio Oratorii et Eccles.; Tabernacul.; Missa in Coena D.; Anniversar.* (in Orator.); *Capella; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4553 ad 5); *Dedicatio Oratorii; Officia hebdomadae.* (decr. n. 4837); *Communio* (Ecclesia; decr. n. 4870); *Missa* (oblig. aud.); *Missa in Eccles. aliena* (decr. n. 4175, 4751); *Missa* (concord. cum Officio, decr. n. 4669, 5183); *Nativit. Dom.* (Celebratio in Sacello); *Communio* (frequens); *Indulg. Oratorii; SS. Sacram.* (asserv.)

ORDINANDI.

1) Epist. et Evang. legentes.

Vd.: *Epistola* (a quo etc.?). *Evang.* (a quo etc.?). *Evang.* (oscul. Episc. in ordinat.)

2) Genuflexio coram Episcopo.

Quando in conferendis Ordinibus adsunt Subd., Diaconi et Presbyteri, col-

locat Pontificale rom. Subdiaconandos coram Pontifice genuflexos et postea Diaconandos contra cornu Epistolae, Presbyterandos vero contra faciem Pontificis ad medium altaris. Queritur: an his accedentibus Presbyterandis, Subdiaconandi alium debeant petere locum? S. C. resp.: Posse Subdiaconandos statui contra cornu Evangelii. n. 2946 ad 4 die 19. Apr. 1681.

3) Prosternatio.

Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi pro Litanis in conferendis Ordinibus prosternere debent. n. 2946 ad 4 die 19. Apr. 1681.

4) Qualitas.

Vd.: *Seminar.* (Epist. Bened. XIV.); *Ordinatio Debitoris; Ordinatio caeci; Sacerdos.* (habitus etc.)

5) Vocandi ab Archidiacono.

Vd.: *Tonsurandi* (Vocatio.).

Pontificale praescribit quod completa Ordinatione Ordinati suggerente Archidiacono recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debeat Archidiaconus in hisce occasionibus?

S. C. resp.: Ad loca vestra vel similibus.

Die 12. Novb. 1831.

ORDINATI.

1) Furtive Ordinati.

Vd.: *Ord. Min.* (Furt. Ord.)

2) Invite Ordinati.

Vd.: *Ordinat. ad Subdiac.* (Valide Ord., quamvis invite.)

ORDINATIO.

1) Altare.

Vd.: *Canonici Cath.* (assistent. in Ordinat.)

Giennen.

(Conc. Tr. C. 8. S. 23. De ref.)

Exortis nonnullis controversiis inter Episcopum et Capitulum Giennen. super modo celebrandi sacras publicas ordinationes concordata fuerunt dubia infra exponenda; cumque in ultima Congregatione habita die 28. Septembris 1726 Episcopus institerit pro aliqua provisione capienda et Capitulum protestatum fuerit, se nullam velle facere oppositionem, sed solummodo expectare responsum super dubiis jam subscriptis et infra referendis, praedicta die editum fuit sequens decretum: „*Episcopus celebret sacram ordinationem ad altare majus vocatis et praesentibus Canonicis et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro ea die transferatur ad aliud altare et missa solemniter ab Episcopo celebranda deservire possit pro missa conventuali.*“

Haec sunt, quae hucusque gesta sunt in hoc negotio. Ex juribus autem circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An Episcopus Giennen. vigore dispositionis sac. Concil. Trid. sess. 23. de ref. cap. 8. et constitutionis san. mem. Innocentii XIII. incipien. „*Apostolici ministerii*“ et alterius sanctissimi Domini nostri illius confirmatoriae possit vel debeat temporibus a jure statutis celebrare functionem ordinum generalium ad altare majus ecclesiae cathedralis? Et quatenus affirmative;

II. An occasione praedicta possit ibidem pontificaliter celebrare missam conventualem ad sabbatum designatam loco illius, quae celebrari a capitulo deberet cum assistentia omnium praebendorum et aliorum de choro? Et quatenus negative;

III. An ob dictam functionem ordinationum in praedicto altari explen-

concordantibus allegatis prosequuntur *Sairus* de censuris lib. 5. cap. 14. num. 11., *Castropal.* oper. moral. tom. 6. de censuris disput. 6. puncto 13. num. 10.

Asque eo, quod quidquam relevet, quod hucusque deducta pertinent ad infamiam juris et non ad infamiam facti, quando quidem infamia haec facti, quae ortum habet ab hominum opinione, non constituit aliquem irregularem, itaut in ejus sequelam ascendere non valeat ad Sacros Ordines, ut in durioribus terminis cessionis ignominiosae bonorum argumentatur *Diana* in edit. coord. tom. 5. tract. 5. resolut. 58. sub num. 4. ibi: *nec obstat, quod tales infames existimantur, nam ex opinione hominum non potest irregularitas induci, alioquin etiam Viri Nobiles recusantes acceptare duellum essent arcendi a Sacris Ordinibus tamquam Irregulares, ut plurimum, vel qui invenit sororem cum Amasio, et injuriam condonavit, non posset Ordinibus initiari. Igitur infamiam inflictam a legibus et non ex existimatione hominum dicendum est irregularitatem inducere.*

E contra adversus Michaellem facit, quod cedens Bonis si non de Jure, saltem de facto expositus est vituperio, adeoque *Hostiensis* in cap.: quidam sub num. 6. de Renunciat. ait: *si cessio effectum habeat, infamis videtur saltem de facto licet non de jure, quia dicunt homines, quod dissipator est, nec invenit de facili mutuantem, et sequitur Card. Tuscus* in verbo: cessio bonorum conclus. 217. sub num. 7. ibi: *licet non incurrat infamiam juris, tamen incurrit infamiam facti propter vituperium, quod fit cedenti; in quo rerum themate sicuti dici posset cessionem cedere in dedecus Ecclesiae, quatenus cedens ad Sacros Ordines promoveretur, sic concludendum esse videtur, non debere eundem Sacris*

Ordinibus initiari juxta auctoritates supra relatas.

Item cautum est in cap. *Odoardus de solution.*, quod Clericus propter debita non detrudatur in carcerem, nec excommunicetur, sed quod praestet idoneam cautionem de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit, nec ad effectum, ut Clericus ad dictum Beneficium admittatur, oportet, ut bonis cedat, ne videlicet ignominia characteri clericali irrogetur, ut in dicto cap.: *Odoardus* firmant *Abbas* n. 8., *An-caran.* n. 7., *Fagnan.* n. 58. de solut., et late scribit *Bellet* disquisit. Cleric. part. 1. tit. de Clerico debitore §. 1. num. 35. Signum autem hoc esse videtur, quod cessio Bonorum ignominiam et infamiam importat, non solum juxta hominum opinionem sed etiam juxta sensum Ecclesiae.

Rursus, per cessionem Bonorum cedens a debitis non liberatur, sed si ad pinguiorem fortunam devenerit, tenetur ex bonis superventis satisfacere Creditoribus, quod absque dubio sibi vindicat locum, si cessio etiam cum ignominia facta sit, sed invitis Creditoribus, uti bene ponderat *Ursil.* ad *Afflict.* decis. 379. num. 5. in fine, vel quando, prout hic, cessio dicitur facta absque ignominia, uti late docent *Amostaz.* de causis piis lib. 7. cap. 7. num. 6., *Scannarol.* de Visitat. Carceratorum lib. 3. cap. 8. num. 7. et seqq., *Constantin.* ad Statutum Urbis tom. 2. annot. 50. art. 2. a num. 142 ad 148., idque facit, ut serio advertendum sit, an expediat Michaellem ad Ordines promovere propter periculum, quod Bona ipsi assignata titulo Sacri Patrimonii a Creditoribus occupentur, cum non solum fructus Patrimonii Sacri sed Beneficii et Praebendae possint a Creditoribus occupari, juxta *Textum* in cap.: *pervenit de fidei jussoribus*, dummodo id fiat in subsidium, hoc est in defectu bonorum priorum Clerici,

et dummodo ex proventu Beneficii Clerico debitori Congrua relinquatur, juxta firmata apud *Salgad.* in labirinto Creditorum part. 1. cap. 42. num. 10.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *An cessio Bonorum obstet Michaeli, quin ad Sacros Ordines promoveri possit in casu?*

S. C. C. resp.: Non esse promovendum.

Die 23. Juni 1725.

6) Defectus.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyteratum; Diaconatus* (traditio libri *Evang. decr.* n. 4813); *Ordinatio ad Subdiacon.; Subdiaconat.*

7) Ad Diaconatum et Subdiaconatum.

Vd.: *Diaconatus; Subdiaconat.; Ordinatio ad Subdiac.; Ordinatio Graecor.; De Ordinatione ad Diacon. et Subdiac.* apud *Cophios* in aetate puerili vd.: *Ordinat. ad Subd. et Diacon.* (Cophi).

8) Dies.

Cf.: *Ordinatio* (tempus); *Ordines minores* (temp. confer.); *Mandatum apost.*

Anicien.

Ut in pastorali suo munere exequendo Rmus Anicien. Ep. ea, qua decet reverentia, erga hanc S. Apost. Sedem incedat, S. R. C. humillime requisivit, ut declarare dignaretur: quid reapse intelligatur pro festis de praeepto, in quibus Ordinationes extra tempora expleri debent ab Episcopis, qui hac facultate pollent, et per consequens: an sibi liceat Ordinationem Clericorum perficere in festo S. Joannis Ap. et Ev., etsi in Gallia festum istud non sit amplius de praeepto? Humillimis hisce precibus per infra-scriptum Secretarium relatis in Ordinaris Comitibus ad Vaticanum hodierna die coadunatis Emi et Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi, memores de anno 1831 pridie Id. Nov. S. ipsam C.

in una Marsorum ad dub. I. edixisse, Ordines S. conferri posse in diebus Apostolorum caeterisque per Apostol. Sedem abrogatis ac in iisdem festis, verum de mane tantum conferri etiam posse Ordines Min., precibus memorati Ep. Anicien. rescribendum censuerunt: „Detur decretum in una Marsorum diei 12. Nov. 1831 ad dub. I.“

Die 18. Febr. 1843; n. 4953.

Ad dubium: Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines Sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? hisce autem diebus licetne conferre etiam Ordines minores?

S. C. C. resp.: „Affirmative ad primam partem et etiam ad secundam, sed mane tantum.“ n. 4669 ad 1 die 12. Novbr. 1831.

9) In qua Ecclesia peragere debeat Episcopus Dioecesium unitarum?

Ad dubium: An ab Episcopo peragenda sint in civitate Tuscanen Pontificalia, Ordinatio et Consecrationes ss. Oleorum saltem alternative?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones pontificales peragere in Cath. Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 3. *Viterbien. et Tuscan.*

Vd.: *Missae duae non sunt leg. ab uno Sacerdote eodem die*, t. II. p. 133 incipiend. a verbis: *Praeterea casum etc.*

10) Extra Ecclesiam.

Cf.: *Ordinat. (missa); Ordinatio priv. in Sabb. s.; Ordinans.*

Archiepiscopo (Avenian.) non licet s. generales Ordinationes extra Cathedralium peragere. n. 4193 ad 2 die 16. Sept. 1747.

11) Graecorum.

Vd.: *Ritus graecus* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. VII.); *Ordinatio ad Subdiaconum et Diaconum*. (Cophu).

Benedictus PP. XIV.

I. Romani Pontifices Praedecessores nostri necessitatibus *Italo-Graecorum* occurrere volentes, ut commode possent a proprii ritus Praesulibus ad Ordines promoveri, simulque caventes, ne, si ab Ordinariis Latinis ad Graecos Antistites in Graeciam vel Epirum aut alias Orientis partes cum dimissoriis remitterentur, ad Schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt: *Clemens quidem VIII. anno 1595*: Romae habendum esse Episcopum Graecum Catholicum, qui Graecos Episcopis Latinis Italiae et adjacentium Insularum subjectos Sacri Ordinis initiaret; *Clemens vero XII. anno 1735*: ut *Italo-Graecorum* in utraque Sicilia commorantium commodis consulere, alterum ejusdem Graeci ritus Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto propter Graecorum hujusmodi Ordinationes manere jussit, quorum laudatissimum Institutum Nos quoque per praesentes nostras perpetuo valituras Literas confirmamus et innovamus.

II. Ne quis Clericus saecularis ritus Graeci, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum ecclesiasticum Beneficium vel Patrimonium, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere: ac propterea deficiente titulo Beneficii per legitima documenta Ordinarium suum certiore reddere debet de sufficienti Patrimonio, ut valeat Sacris Ordinibus initiari: loco autem dicti Patrimonii nec Clericus Uxor suae dotem assignare praesumat nec Ordinarius eam recipere audeat.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Graecis seu Albanensibus in Calabria et Sicilia commorantibus ad sacra ministeria assumatur, qui trium saltem annorum spatio Graecis Latinisque literis non dederit operam in altero ex Seminariis *Italo-Graecorum* vel in Collegio Graecorum in Urbe.

IV. Promovendi ad Sacerdotium et Presbyteri, qui praeficiendi fuerint Ecclesiarum Regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de Horis Canonis et Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad haec non nisi digni admittantur:

V. Sacerdotes et quicumque sunt in Sacris Ordinibus constituti Horas Canonicas more suo dicant: et priusquam Missam celebrent, Officium matutinale recitare curent.

VI. Episcopi Graeci in Ordinibus conferendis ritum proprium Graecum in Euchologio descriptum servant, in quo, etsi nonnulli de Minoribus Ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum iidem Graeci affirmant.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu Graeco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu Latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus: si quis ritu Graeco Clericus et Lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut majores Ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debet ritu Latino suscipere. Si vero praeter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam Graeco ritu ascendit et ex dispensatione itidem Apo-

stolica facultas sibi facta sit caeteros Ordines ritu Latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per Subdiaconatum Graeco ritu collatum Acolythatum et Ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum aut etiam Presbyteratum graece suscepit, et Latino postea ritu ad Sacrum Presbyteratum respective Ordinem aut Episcopatum promovendus sit ex Apostolica concessione: nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur aut Episcopus consecratur, esse supplendum.

VIII. Graeci sine literis dimissoriis Episcopi Latini Dioecesani nullatenus ad primam Tonsuram vel aliquem Ordinem recipiendum admittantur.

IX. Promoti ad primam Tonsuram vel ad alium quemcumque Ordinem sine Dimissoriis Latini Ordinarii suspensi sint; et si suspensi in Sacris Ordinibus ministraverint efficiuntur irregulares, sicut et Latini.

X. Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a S. Sede Apostolica obtineri oportet.

XI. Non sunt admittendi Episcopi schismatici sive pro Ordinibus sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed impediendi, quoad S. Sedes Apostolica desuper consulatur et responsum habeatur.

XII. Quos vero communionem S. Romanae Ecclesiae habere constiterit, eis Pontificalia exercendi facultatem Ordinarii Latini in suis Dioecesibus libere concedere possunt.

XIII. Ordinati ab Episcopis schismaticis alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

XIV. Proinde ipsi Ordinati ab Episcopis, correcti vel emendati recon-

ciliandi sunt et absolvendi cum poenitentis salutaribus, dummodo errores, si quos amplexi fuerint, sin minus Schisma Ordinatoris abjurent in iudicio vel publice vel secreto pro qualitate facti.

XV. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate, hujusmodi occasione contracta, auctoritate S. Sedis Apostolicae fuerit dispensatum.

XVI. Cum ex Ecclesiae disciplina a Graecis olim recepta promoti ad aliquem Ordinem Sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiore gradum ascendere non possint, quo nimirum Ordinandorum fides morumque probitas eo temporis spatio cognosci valeat, qua lege Graeci seu Albanenses in Italia et Insulis adjacentibus commorantes dubio procul tenentur: nihilominus cum praedicti Graeci seu Albanenses Ordinarios suos, quibus subijciuntur, habeant latinos, a quibus tanquam alieni ritus sacris Ordinibus initiari prohibentur; ac proinde cum Romam vel in Calabriam, ubi sunt Episcopi a S. Sede Apostolica ad Ordinationes ritu Graeco exercendas deputati, repetitis vicibus, non sine quamplurimis incommodis et expensis, ad Sacros Ordines juxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent, Nos eosdem Graecos seu Albanenses gratiis et favoribus prosequi eorumque incommodis consulere volentes, de Apostolica plenitudine potestatis, praefatis Episcopis Graecis Romae et in Calabria pro tempore degentibus, licentiam et facultatem impertimur, ut Graecos seu Albanenses hujusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui minoribus seu majoribus Ordinibus initiari cupiunt, ad omnes Ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo

dam possit cogere Capitulum, ut horam consuetam pro horis canonicis et missâ conventuali anticipet vel postponat, ita tamen, ut ultra horas debitas neutra ex dd. functionibus protendatur?

IV. An possit celebrare dictam functionem ordinationis ad altare majus, non obstante, quod juxta consuetudinem vigentem in omnibus cathedralibus in Hispaniarum regnis ad altare majus adsit tabernaculum, in quo aservetur sanctiss. Eucharistiae Sacramentum? Et quatenus negative;

V. An possit compellere Capitulum et Canonicos, ut pro explenda ordinatione aliisque functionibus pontificalibus transportari faciant SS. Eucharistiae Sacramentum ad aliud altare ecclesiae?

VI. An possit Episcopus impediri, quominus in dicto altari solemnem et generalem ordinationem faciat sub praetextu consuetudinis, ex quo nunquam in dicto altari per Episcopum facta sit celebratio ordinum? Et quatenus affirmative;

VII. An Episcopus teneatur praedictam functionem explere in aliqua ex capellis ecclesiae et quatenus capellae non sint capaces, teneatur illam explere in Sacristia? Et quatenus affirmative;

VIII. An in hoc casu possit Episcopus Capitulum cogere, ut anticipet vel postponat horam consuetam pro horis canonicis celebrandis, ne celebratio ordinum chororum impediatur vel chorus ipsam ordinum celebrationem?

IX. An Episcopus ad formam supradictae conciliaris dispositionis sive ordinationem celebret ad altare majus ante vel post horarum celebrationem, sive ad aliquam ex capellis, sive in Sacristia Cathedralis, possit cogere integrum Capitulum et omnes Canonicos ad assistendum functioni ordinationis generalis et quibus poenis, seu potius contentus esse debeat assistentia illorum, qui in functionibus pon-

tificalibus eidem Episcopo ex praescripto Caeremonialis vel ex consuetudine ecclesiae assistere debent?

X. An Episcopo accedenti ad ecclesiam Cathedralis pro explenda solemni ordinatione vel pro interessentia divinis officiis vel aliis quibusvis functionibus, sive associetur a toto capitulo, sive a solis duobus deputatis, debeat parari nedum faldistorium seu genuflexorium in loco, ubi Episcopus functionem facere seu eidem assistere debet, verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu, ut, antequam ad sedem suam accedat, orare possit ad tabernaculum sanctissimi Sacramenti, vel saltem loco faldistorii seu genuflexorii parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orare possit, seu potius servanda veniat consuetudo, praesertim si sit memorabilis, juxta quam Episcopo ad ecclesiam accedenti nec faldistorium nec pulvinar parari solet, super quo Episcopus oret antequam ad locum suum accedat?

S. C. C. resp.: Ad Dom. Secretarium cum SSmo juxta mentem.

Die 11. Jan. 1727.

Iterum propositis dubiis S. C. resp.

ad I.: Posse et debere nisi adsit rationabilis causa arbitrio Episcopi judicanda;

ad II.: Affirmative;

ad III.: Posse dummodo non excedat spatium unius horae ultra horas consuetas;

ad IV. et V.: Servetur Caeremoniale;

ad VI. et VII.: Satis provisum in primo;

ad VIII.: Satis provisum in tertio;

ad IX.: Dilata;

ad X.: Servetur Caerem. Ep. I. I. c. 12.

Die 2. Aug. 1727.

Tertio repositis dubiis. S. C. resp.:

ad II.: In Decisis juxta resolutionem noni dubii;

ad III.: Praevio recessu a decisis arbitrio et prudentiae Ordinarii;

ad IX.: Posse cogi juris remediis integrum Capitulum unacum omnibus de Clero Cathedr., ut assistat Episcopo sol. cum cantu missam Ordinationum ad altare majus celebranti.

Die 19. Junii 1728.

2) Assistentia.

Vd.: *Diaconi assist. in eccles. Cathedr.; Canonici parati; Archidiaconus; Canonici Cathedr. assist. in Ordinationibus; Ordinatio (altare, decr. Giennen.).*

3) Caeci.

Vd.: *Sacerdos caecutiens.*

Pampilonen.

(Conc. Tr. C. 4. S. 23. De ref.)

Franciscus de Mencos y Ayanz claris ortus Parentibus in Civitate Tafalla cum adolescens literarum studiis se tradidisset, ex eorum fortasse intemperantia caecitatem fere penitus contraxit integris tamen manentibus oculis. Sed non ideo studia intermisit et aliena usus opera hausit per aures, quae haurire non potuit per oculos.

Itaque non mediocres fecit progressus, tum in sacra tum in profana historia: Catechetica quoque doctrinam et mysticarum rerum cognitionem est assecutus; denique concinne cymbalissare didicit. Nunc eo clericali militiae adscribi cupiente Episcopus indolem hominis caeteraque virtutum ornamenta commendans ipsum putat dispensatione dignum, ut prima Tonsura initiari possit et ad Ecclesiastica Beneficia assequenda habilis reddi, affirmat quippe eum Officium Beatae Mariae Virginis et Officium Defunctorum recitare memoriter posse.

Hac itaque de re est nunc delibendum. Certum sane est hominem tali corporis vitio laborantem esse irregularem, nec solum impediri, quominus promoveatur ad Ordines, sed etiam quin prima Tonsura initiari possit et Clericus fieri, ut docent *Praeposit.* in cap. fin. 55. dist. vers.: *Oppono quod imo; Geminian. et Turrecrem. ibidem; Fagnan. in cap.: Cum contingat n. 116. de aetat. et qualit.; Pignatell. consult. 146. n. 7. tom. 8.; Ferosin. loco cit. n. 36.; Bellet. disquisit. Cleric. part. 1. §. 7. n. 21. et seq.; Barbos. de Episcop. part. 2. allegat. 42. n. 27. et 29.; Rot. decis. 625. coram Seraphin. Sed perpendi oportet: an dispensatio, qua indiget Orator, concedenda sit, cum agatur de promovendo, quem nulla necessitatis vel utilitatis ratio postulari videtur cooptari inter Clericos?*

In antiquo Volumine Decretorum Sacrae Congregationis, quod extabat in Bibliotheca Cardinalis Panciatichi olim hujus Sacrae Congregationis Praefecti, reperitur illud, quod infra describetur:

„Cum quidam caecus musicae artis peritissimus vellet permutare Beneficia simplicia cum Canonicatu Cathedralis Legionen. instante etiam Episcopo et Capitulo et res Sanctissimo delata esset, ad Sacram Congregationem Concilii rejecit. Congregatio autem censuit admittendam esse permutationem; et si enim Cardinalis S. Xisti dixerit se vidisse denegari Beneficia etiam simplicia in Ecclesiis Collegiatis hominibus caecis per Signaturam Sanctissimi, unde tanto magis erat denegandum in Cathedralibus et in Canonicatu, qui requirit servitium quotidianum et praesertim post Concilium, cum non possit ad Sacros Ordines promoveri, nec musicam esse sufficientem causam dispensationis, cum Canonici non inserviant pro Musicis.

Tamen caeteri omnes dixerunt caecum obtinentem cum dispensatione simplicia Beneficia posse ea permutare cum Canonatu Legionen. ad supplicationem Capituli, absque eo tamen quod caecus fieret Subdiaconus, attento quod praefatus caecus Musicam et liberalem artem callet, et in pulsandis Organis est valde peritus et totum Psalterium memoria tenet."

Praeterea in hac Sacra Congregatione fuit die 10. Maii 1732 inter summaria supplicum libellorum propositus casus de Clerico Faventino luminibus capto, qui fuerit praesentatus ad Beneficium Jurispatronatus suae Familiae, censuitque Sacra Congregatio gratiam ei concedendam, ut Beneficium illud posset obtinere, commutato onere recitandi Officium Divinum in alias pias preces arbitrio Episcopi. Sed ibi agebatur de adscripto ecclesiasticae militiae, antequam luminum expertus factus fuerit, et dispensationem suadebat aequitas, ne Beneficium a majoribus suis fundatum obveniret extraneo.

Caeterum ne omittantur alia, quae hodiernae petitioni favere possent, animadvertendum occurrit, Franciscum non omnino inutilem Ecclesiae futurum; poterit enim Fidei elementa pueris tradere, poterit etiam Organa tractare in Divinis Officiis, poterit denique per integritatem morum piasque exercitationes aliis prodesse exemplo, quod esse veluti perpetuum quoddam praedicandi genus inquit Sac. Concil. Trid. cap. 1. sess. 25. de Ref.

De Roberto Scoto ad Sacerdotium et Episcopatum evecto, quamvis caeco, haec habet Surius in historia sui temporis ad annum 1551: „Hoc anno obiit Robertus Mautop. Scotus Lutetiae Parisiorum. Is a puero caecus usque eo Parisiis in literis processit, ut Theologiae Doctor creatus sit. Inde Romae fit Sacerdos ac paulo post Archiepi-

scopus Armachanus in Hibernia, et postea sub Julio III. Legatus a latere. Interfuit quoque Synodo Tridentinae. Et ex Surio idem refert Majol. de irregular. lib. 1. cap. 20. sub. num. 2. his verbis: omnibus memorabilior fuit Joannes Palestinus caecus, qui omnem sacram scripturam tenaciter memoriae ita servabat, ut publicis Conventibus in Ecclesiis ita referret omnia quasi ex libro ipso. Propterea quisquis caecus sit, si praedicationis causa velit promoveri, poterit Papa dispensare, ut et Sacerdos et Episcopus fiat: nam et si Sacerdotium in Sacramentis et Sacrificiis exercere non valeat oculorum defectu, Confessiones tamen et Praedicationem exercebit et jurisdictionalia: quod contigit Roberto Scoto caeco a puerili aetate, qui Parisiis Theologiam perdidit adeo insigniter, ut Romae creatus Sacerdos et Archiepiscopatu Armacano in Hybernia et Legatione pro Julio III. fuerit perfectus.

Hoc ipsum quoque memorat. *Barbos. de Offic. Episcop. d. part. 2. alleg. 42. num. 28.*, ubi praeterea habetur, Belgam quemdam a teneris annis oculorum sensu destitutum, nihilominus in Parisiensi Academia floruisse et Monachorum Ordinis S. Benedicti atque etiam Diaconum fuisse.

Sed errasse Surium, qui caecum dixit fuisse Robertum Scotum, cum solum angusta ille fuerit et suppressa oculorum vi, notat *Spondan. ad annum 1546 num. 3.* Idemque confirmat *Card. Pallavicin. in Histor. Concilii Trid. lib. 6. cap. 5. circa fin.*, multoque etiam certius evincunt Legationes, quas ille a Paulo Tertio et Julio Tertio ad Caesarem et ad Galliae Regem accepit, antequam Tridentinae Synodo interfuerit.

At vero is, cui hebes vel obtusa sit oculorum acies, non est irregularis, ut advertunt *Fermosin. in cap. 2.*

quaest. 1. num. 34. de corp. viliat., *Ugolin. de irregularit. cap. 47. num. 5.*

Dignentur itaque Eminentiae Vestrae deliberare:

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Oratoris ad suscipiendam primam Tonsuram?*

II. *An etiam sit habilitandus ad Beneficia simplicia cum commutatione Divini Officii in Officium Beatae Mariae Virginis?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 28. Martii 1733.

4) Cophthorum.

Vd.: *Ordinatio ad Subdiac. et Diaconat. (Cophthi); Ordinatio Graecor.*

5) Debitoris (quondam uxorati).

(Non concessa.)

Atrien.

(Conc. Tr. C. 2. S. 21. De ref.)

Michael Graecus Terrae Silvi Dioecesis Atrien. post completum studiorum curriculum a suo recepit Ordinario primam Tonsuram et quatuor Ordines Minores; cumque spatio novem annorum in eo statu permanserit cupieritque ad Sacros Ordines ascendere et id obtinere non potuerit propter defectum Beneficii et Patrimonii, ad nuptias carnales convolvit et Mercatorem agere coepit, sed adversantem sibi passus fortunam, post nonnulla contracta debita, ut se ab imminente carceratione liberaret, cessit bonis in Curia Laicali Neapolitana anno 1621, et sic quaecumque sua bona Creditoribus dimisit.

Anno 1722 Uxor Michaelis mortua est superstilibus duobus liberis; cumque praedictus Michael praevio decreto et Episcopi permissione clericalem habitum reassumpserit et a quodam pio Benefactore sufficientis Patrimonii constitutionem reportaverit, ut ad ejus

titulum ad Sacros Ordines ascendere posset, suas Episcopo exhibuit preces pro Sacrorum Ordinum collatione et Episcopo excipiente, se dubitare: an ipse propter infamiam ex cessione bonorum resultantem irregularis effectus esset, quaedam ab eodem Michaelae modestae querelae adversus Episcopi dubitationem Summo Pontifici in supplici libello expositae fuerunt, qui proinde earum examen ad hanc Sacram Congregationem pro voto remisit.

Juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione, qui omnia confirmavit, quae in superioribus relata fuerunt, addiditque, se oraculum expectare hujus Sacrae Congregationis super scrupulo, qui sibi exortus est occasione petita a Michaelae promotionis ad Sacros Ordines, licet admittat, cessionem Bonorum factam fuisse absque ignominia et absque eo, quod cedens pileum viridem deportaverit aut aliud ignominiae indicium.

Pro Michaelae facit disertus *Textus in leg. Debitorum, Cod. de quibus causis infamia irrogatur*, ibi: *debitorum, qui bonis cesserint, licet ex ea causa bona eorum venerint, infames non sunt*, ubi *Baldus* ait: *nota, quod cedens bonis non est infamis, licet in quibusdam locis ligetur ad columnam*, et sequitur *Scanarola de Visitat. Carcerat. cap. 9. ante num. 9. fol. 522.*

Idque si absolute et simpliciter procedit, a fortiori videtur procedere debere in hypothesis praesenti, in qua cessio facta supponitur absque ulla nota ignominiosa, juxta praxim Regni Neapolitani, uti testantur *Muscatell. in praxi Magnae Curiae Vicariae super glossa detinebitur num. 78 et 79. Rovit. super pragmatica de cessione Bonorum 3. num. 7.*, unde communiter dicunt Doctores, quod, qui cesserunt Bonis, possunt ad Ordines promoveri, dummodo cessio non cedat in dedecus Ecclesiae, quemadmodum